

imaginari licet ab eo, quod in rerum natura cernimus. & mirum est de his, qui Aristoteli sic sunt obstricti, vt propter verbum illius vnum abneget proprium sensum, & saltem esset stabile, nam millies sibi in hoc contradicit, vt inspicienti apparet circa istęc. ex diuersis enim dictis illius diuersa figmenta Peripatetici parturire. Quod formæ non educantur de gremio materiz, & quod ibi non sint, posterius tractandum est, dùm defendemus ea, quæ circa hoc dixit Sciolus Marta aduersus Telesium. Ex his clarissimum est, nec priuationem, si non ens ipsam ponunt, nec materiam, eo pacto, quo ipsam intelligunt, esse principiũ rerum naturalium. Nunc quid sentiendum sit de formis, dicere non sit graue.

Cùm rerum omnium duo statuerimus principia actiua, ac informatiua calorem, scilicet, & frigus, & rectum fuit, hæc omnia prorsus facere, manifestum est, quod hæc ipsa materiam ad sui modum concinent, effectumq; forma enim à formando dici videtur, formans autem ab intus, est calor solaris, qui externam parturit formam in materia, seu figuram, cui nomen cõpetit formę passiuæ, forma enim agens calor est, qui suam è cœlo naturam diffundens, materiam, cui vnitur, & fit vnum, optat augete, si sedem commodam parauit, nec enim planta vult mori, nec animal, eo quod eius calor natiuus conuenientem sibi inuenit sedem, & vbi nutrirı possit, organa fecit, expertusq; calorem summum, à quo ipse moderatus, sui priuatur mole, ac frigus contrarium, ibi permanere vult. at calor, qui materiam attenuauit, non sic, sed sursum euehit; quin nec stare vult inter crassitiam, & frigus, & in media genitus, eam distrumpit, & si in parua est impotens, vt decedat, effingit organa, animalq; componit. igitur sicut colores, & lux caloris sunt facies, & species, sic forma certi caloris videtur esse compositio in crassitie sedentis.

Quodcunque agens quippiam facere videmus, seipsum diffundere potes agnoscimus, simileq; efficere. at dum diffusiuum sui calorem cum luce inspiciamus terram ab ipso oppugnatam, varijs immutatam modis, varijsq; figuris donatam cõcernimus iuxta crassitie, ac frigoris resistentiam, & ipso decedente priuari, vel adueniente magis, sicuti fit estate, in tenuitatem resolui, ac cœlum maximè; ergo informare calorem est necesse, ac frigus, & materiale dispositionem esse concausas. si enim hæc non resisteret, & susciperet, & istud non circundaret, oppositum oppugnando, quæ videntur, figuræ non fierent. Igitur ab externo calore immutari, & ab extra formas venire censendum est, non ex potẽtia materiz, sicut Peripateticis fingitur. & quod generat ipsum, dat formam, & quæ consequuntur, nec repente, sicut solus efficit Deus, sed cum successione paulatim immutans. at in his, quæ fiunt à sole, hoc modo fiant figuræ diuersæ; in his verò, quæ per semina propagantur, secus fit non omnino. Sed quod semen retinet simulacrum, & effigiem illius, vnde decisum est, animalis, vel Plantæ; simulacrum enim ipsum sentiens est, vel spiritus,